

Ioannes Orberg Olivario Rimbault salutem,

Gratiam tibi habeo maximam pro praeconio commendatio quod de institutione mea Latina promulgas atque pro consiliis et praeceptis utilissimis quae magistris das. Spero ita te pluribus professoribus in patria tua persuasurum ut doctrinam suam Latinam discipulis faciliorem, efficaciorum, acceptiorum reddant. In Italia et in Hispania iam multi magistri libris meis prospere utuntur.

Quod me interrogas in quibus auctoribus vel principiis opus meum nixum sit, difficile est respondere. Mihi institutionem Latinam conscribenti notus erat Comenii *Orbis pictus*, nec vero noveram principia didactica quae ille in aliis libris suis, ut in *Novissima linguarum methodo*, exponit. Me stimulabat methodus illa 'directa' qua iam diu utebantur plerique magistri linguarum modernarum (quam popularis meus Arthur M. Jensen 'naturae methodum' appellavit). Maxime vero incitatus sum a quibusdam magistris Britannis qui ineunte saeculo XX linguam Latinam methodo 'directa' docere experiebantur (W.H.D.Rouse: *Latin on the Direct Method*).

Nuper novum librum divulgavi: Vergilii *Aeneidis* libros I & IV ad usum discipulorum editos, i.e. notis marginalibus Latinis instructos ita ut legi atque intellegi possint a discipulis qui *Familiam Romanam* et principium *Romae Aeternae* absolverunt. Exemplar tibi mitto per cursum publicum. Addo libellum elementarium cui titulus est *Fabellae Latinae*.

Cura ut valeas!

Datum Grenaa a. d. XIII kal. Mai. ann MMVIII

Hans Orberg / Ioannes Montaurius